4?

METAPHYSICA SUBLIMIOR

AB AUCTORE SUO VINDICATA

ADVERSUS FABULAM LIPSIENSEM

OPUSCULUM SECUNDUM



1821.

Edizione Terza.

Digitized by Google

AUCTORIS

METAPHISICÆ SUBLIMIORIS

Proaemium

Cum eruperit, et clanculum serpat scriptiuncula, quam *Fabulam Lipsiensem* voco, eaque plena calumniarum ad criminandam et proculcandam Metaphysicam Sublimiorem; statui, ipse ego quem obtrectant, (nec enim odi lucem unquam) repraesentare ipsam scriptiunculam cum appositis notulis, ut hujus pateat malignitas, priusquam latius impune pervagetur, ac vulgi etiam aures occupet. Sic enim veritatis amatores molestia liberabuntur detegendarum calumniarum, cum hic detectas viderint, simul ac legerint. Mirabitur aetas haec nostra in tanta luce scientiarum, in tanta morum suavitate, repeti etiamnunc exempla immanium calumniarum, qualia edita perhibentur in perniciem veterum, vix credibilia illa quidem, nisi auctoritas gravissima confirmaret. Sed ubi cupiditas impulerit animum, per fas ac nefas transgredimur. Oranda Trinitas est ut sana mente utamur.

FABULA LIPSIENSIS

QUAE EST

MASTROFINIENSIUM OPERUM, METAPHYSICAE PRAESERTIM SUBLIMIORIS ERRORES PRAECIPUI, SEU TOTIUS INCREDULITATIS, IMPIETATISQUE SEMINARII LUES SUMMATIM DETECTA

Adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus.
Thessalon. *c.* 4.

I. Metaphysica sublimior est opus in quo Deus contemnitur, subsannatur aperta fronte, et loco ejus aeternitas asseritur mundi, insinuatur, ac apertissime praedicatur (1).

CONFUTATIO

FABULAE LIPSIENSIS

(1) Calumniarum summa huc fertur, contemni Deum quia mundi aeternitas ejus loco suscipitur, ac praedicatur apertissime. Proh Deus! Per quos ista dicuntur, aut ubi!... Æternitas mundi excludit creationem; integra vero metaphysica sublimior creationi innititur, et creationem factam narrat, docet, concelebrat. Itaque illius paragraphus 608. habet. *Ergo singulae tres personae Divinae, collato in unum eliciendae operationis actu, UNIVERSITATEM HANC RERUM procrearunt*: et §. sequens: *Imo etiam cum primus, numeroque unus homo effectus est*

II. Quemadmodum in qualibet creatura tres status sunt inveniendi ut prius sit in semine, inde in evolutione, tandem in statu, ut in quercu quae prius est in glande, inde fit quercus, tandem glandes emittit, vel in statu fit

---

SEQUITUR CONFUTATIO

animamque suscepit, cunctae itidem personae in idem opus conspirarunt. En ergo Deo vindicatam creationem. Porro de creatione scribitur §. 638: *Creatio porro est actio in re qualicumque ex nihilo extrahenda*: et in §. 542. *scitum est autem apud philosophos rem nullam dici creatam solere nisi et substantia, et existendi modus quo illa continetur, ad existentiam venerit, cum nihil eorum existeret.* Ex quibus apparet Deum tum statui creatorem, tum, creando, educere substantias et modos substantiarum. Quare si Deus omnia procreat, ac si creavit ex nihilo universitatem hanc rerum, id est mundum; constat utique ex metaphysica sublimiore, primo, Deum extitisse ante universitatem hanc rerum seu mundum, secundo, esse diversissimum a rebus et mundo: ac tertio, mundum aeternum non esse. Quid plura? In ipsa metaphysica §. 737. concluditur: *quare si argumenti illius membra cohaererent; quoque mundus foret aeternus; quod est procul dubio falsissimum*: et in §. 738. materiae *aeternitas ut obsoleta res* ponitur et contemnitur. Tantus calumniandi furor! Admittitur creator, et creatio ex nihilo, expressis verbis excluditur mundi aeternitas: et mundi aeternitatem, rejecto creatore, culpamur docere, atque ita culpamur, ut alii scire debeant omnes, et non ego quem culpant: ut ita rumor augeatur, et iidem illi qui excitarunt, rumorem ipsum dent crimini auctori, atque operi, ut extorqueant quod machinantur: cum potius in eos, tamquam in publicos calumniatores, agier oporteret, lictore et carcere.

emittendi; ita tres isti status in ipsa tota rerum sensibilium universitate ac infinitate juxta metaphysicam sublimiorem apprehensi et excogitati sunt illi qui sanctissimam constituunt et conflant Trinitatem (2). Posita namque ista

---

SEQUITUR CONFUTATIO

(2) Si propositum esset expendere per singula verba narrationem hanc, deducerem illam in tot contradictiones, ut narrator deberet, si quid habet sensus, expavescere. Sed me defendo, nil moror, quid ipse deliraverit. Eo collineat autem structor fabulae hujus, ut mihi adscribat *Pantheismum* quem vocant. Hinc sunt invidiosa illius verba: *Omnium rerum possibilitas* etc. *denominatur pater*, *apparentia* etc. *Filius* etc. *qui tres status in ipsa tota rerum sensibilium universitate sanctissimam constituunt et conflant Trinitatem*. Quid vero calumniosius, quid protervius, quid efferatius? Ut metaphysici norunt, in Pantheismo Deus semper fuit mundus. Ex nota autem prima apparet Deum extitisse ante res ipsas: imo et has de nihilo procreasse, non Deum esse res ipsas. Praeterea liberrime factam docui creationem, ut qui §. 338. scripserim: *Cum Deus extra se operatur, tum sua sponte agit, atque liberrime: nec enim res ulla earum quae procreantur, nimirum quae nondum erant priusquam Deus creationi daret operam, inferre posset agenti Deo necessitatem. Nec alia res ulla quae creata non sit, excogitari potest, quae vi Deum compellat ad agendum in his quae spectant res extra Deum positas*. En iterum Deum et creatorem, et hunc liberum, et omnino secretum a rebus, quas procreat. In §. 471. tradidi: *Ex creaturis Dei existentiam deducimus, ea tamen vix deducta, intelligimus Deum extare perpetuo debuisse, quamquam creaturae nullae conditae fuissent. vel conderentur*. Qua fronte igitur venditat Deum in meta-

visibili ac apparenti rerum universitate, dum omnia infinita sunt, apparent ac subsistunt, pariter vel infinita operantur, infinita opera emittunt, ac producunt, et propter ea infinita sunt in semiue vel in potentia, sive possibili-

---

SEQUITUR CONFUTATIO

physica sublimiori proponi ut *sensibilem hanc rerum universitatem:* vel Patrem esse *vim in semine rerum*, filium *apparentiam*, et Spiritum Sanctum *operationem* rerum ipsarum: cum Trinitas, id est cum Pater et Filius et Spiritus Sanctus praecedant omnino res cunctas, et existant etiam si nil prorsus rerum existeret? Id ipsum leges etiam in §. 228. his verbis: *si creaturae sint, quoque Trinitas putanda est existere, non autem e contra; cum libera sit rerum procreatio*. Quae tam saepe indicata libertas notetur; nam in Pantheismo omnia sunt necessaria, ut philosophi explicant. Tandem in §. 315. haec proferuntur. *Jam vero vis ista* (Divina) *cum extra se funditur, tum existentias producit rerum quarumque et quem usque ad numerum voluerit, dummodo sint illae finitae, ab ipsoque Deo distinctae penitus, vel separatae*. Quid impostor ad haec respondebit? Si res cunctas Deus procreat, ut vult, si finitae sunt, si distinctae, si separatae a Deo; qua procacitate igitur vociferatur, me scribere, *omnia infinita esse in hac rerum universitate*, vel universitatem hanc rerum esse Deum, aut universitatis hujus *vim* esse Patrem, *APPARENTIAM* esse filium, *operationem* esse Spiritum Sanctum? Ne longius vager addo, me qui Pantheismi accusor, exclusisse hunc, etiam nominatim, his vocibus in §. 13. = *Benedictum Spinozam profectum ex ea fuisse definitione, ut fundamenta jaceret Pantheismi, quo nescio AN TETRIUS MONSTRUM HUMANA MENS EDIDERIT.*

Digitized by Google

tate juxta Metaphysicam: ob hanc rationem tria semper infinita sunt in uno infinito, nempe universo sensibili, in continuo ac perpetuo gyro ac evolutione sine ullo principio; quamvis in nostram phantasiam prius cadat status in semine, ab ipsa metaphysica sublimiori dictus vis: inde status evolutionis sive apparentiae dictus motus, tandem status operationis dictus actuositatis.

Illa vis seu status in semine sive omnium rerum possibilitas dicta, est essentia quoque nuncupata, et ab eadem metaphysica constituitur et denominatur Pater: motus vero ille sive apparentia omnium rerum sensibilium dicta existentia, constituitur ac denominatur *Filius*. Operatio tandem omnium rerum dicta actuositas, denominatur et constituitur *Spiritus Sanctus*. Hoc est summarium argumentum primae Demonstrationis.

III. Rursus aliis nominibus, nempe infinito primi ordinis, infinito secundi ordinis, infinito tertii ordinis, denominati sunt illi iidem tres status totius sensibilis rerum universitatis, ut primus status rerum omnium in semine sit infinitum primi ordinis, et *Pater*, secundus vero status apparentiae, nempe rerum omnium extra semina sit infinitum secundi ordinis et *Filius* (3), tertius tandem sta-

---

Sequitur Confutatio

(3) Paragraphi hujus alterius foeditas unam exprimit antecedentis malitiam. Nam totus in eo est fabulator, ut somniare pergat statum seminis, statum apparentiae, ac statum operationis, totius sensibilis universitatis, atque in his per me constitui Patrem, Filium ac Sanctum Spiritum; ut si universitas rerum sit Deus. Quod cum antea in nota 2. falsissimum ostenderim; patere simul falsitas debebit inanium ac sine mente vocum quas ille sub numero III. funditat. Utque discrimen istud pateat illustrius, produ-

tus operationis et actuositatis sit infinitum tertii ordinis et *Spiritus Sanctus*. Atque hujusmodi est argumentum quod in secunda demonstratione sanctissimae Trinitatis a subliniori metaphysica astutis flexibus implicatur.

IV. Tandem ille idem primus status, nempe possibilitatis, sub nomine Desiderii infiniti exigentiae ac miseriae ab ipsa metaphysica constituitur in nota characteristica ac denominatur *Pater*. Ille idem secundus status nempe motus sub nomine *gloriae* (4) vel medii quod transit, con-

---

SEQUITUR CONFUTATIO

ducam quae scripsi §. 817. *Pater et Filius intrinsecum est Sancti Spiritus principium; cum e contra personae tres Divinae speciem praeferant extrinseci principii, si ad res creatas comparentur*. Si personae Divinae sunt principium extrinsecum rebus, quomodo per me confusae cum rebus vel unum cum rebus esse dicuntur? Quid comminiscitur? quid circumlatrat iste? meminerit non irrideri Deum; maxime ad Trinitatis avertendam, vel quovis modo retardandam cognitionem.

(4) Si Deus, ut in secunda ac tertia nota clarissime demonstravi, non est sensibilis mundus ex metaphysica sublimiori, calumniosissime circumforaneus iste pergit nominare tres eos status, et in primo Patrem, in secundo Filium, in tertio Spiritum Sanctum. Ecquis unquam Filium in statu *motus* indicavit vel sub nomine *medii* quod transit? More quidem scripturarum (Hebr. c. 1., et alibi) dictus est ille Dei gloria: sed relegat, si forte legit unquam, quid in ea gloria sit Filius. En §. 490. textum. *Secunda vero hypostasis ita est Divini Patris cumulata declaratio et gloria, ut neque paternae substantiae simplicitatem evertat, neque de Patris gremio possit excidere, perque vices instaurari*. Si gloria in qua Filius est,

stituitur in nota characteristica et denominatur *Filius*. Tandem tertius ille idem status; nempe actuositatis omnium rerum sub nomine finis qui non permanet, constituitur in nota characteristica ac denominatur Spiritus Sanctus. Et hoc est tertium in compendio argumentum quod tricis, ambagibusque involutum, in tertia atque ultima Sanctissimae Trinitatis demonstratione metaphysica praedicta continet.

V. Plurima tamen praeter haec tria praecipua quae revelata divinitus mysteria, Religionem naturalem, Deique existentiam evertere (5) ac Pantheismum ac materialismum

---

SEQUITUR CONFUTATIO

paternae substantiae simplicitatem non evertit, si non excidit de Patris gremio; quid commune habet illa cum compositis rebus? Quomodo motus est illa compositi mundi a Aut quomodo *medium* est quod *transit*, si divina gloricumulata est, neque potest per vices instaurari? Ex adverso vide quid sit in creaturis Dei gloria. In §. 763. po? situm est: *creaturae vere veluti scintillula sunt Divinagloriae, easque nutu voluntatis suae Deus trajicit ad exie stentiam*. Quomodo scintillula gloriae erit ipsa cumulata Dei gloria? vel quomodo quod nutu voluntatis trajicitur ad existentiam, erit id ipsum quod nec relinquere potest Dei patris gremium, nec instaurari? Sed nil opus est his: calumnias dispello, non qualis natura sit demonstrationum mearum ostendo.

(5) *Deique existentiam evertere*. Itane vereccundissime hominum? Ergo qui vim totam suam confert ad Trinitatis existentiam post datam revelationem, convincendam et commendandam etiam ratione, mortalibus, hic Dei tollit existentiam? Ergo Deus tuus non est Trinitas? Hoc igitur zeli illius tui latens mysterium est, insequeris qui Trini-

(6) adstruere, opus-mastrofinianum, legenti perspicuum erit; in ipsa sublimiori metaphysica inveniuntur quae impiis libertinis, novitatum amatoribus, curiosae absque di-

---

tatem sanctam concelebrant, ac toto corde ut agnoscatur, satagunt, quia in Deo illo tuo, si quem habes (nec enim tanta aestuares impudentia), quia in Deo illo tuo Trinitas non invenitur, nec adorandam, sed proscribendam eam velles.

Lege vero quae scripsi §. 642. occurrunt ista: *Naturalis etiam Religio postulat, ut nisi Trinitatem invincibiliter, ut ajunt, ignoremus, hanc toto animo veneremur*: Idque subjecto ratiocinio docetur. Ac §. 643. *Deus autem, tradita revelatione, sic naturalem auxit cultum atque perfecit, ut constitutae ab eo Religionis caput esse voluerit Fidem erga Deum, natura Unum, tresque huic personas necessario devinctas, et implicatas, cujus benefacti numquam homines habere Deo poterunt pares gratias, nedum referre*. Verbane sunt haec hominis utramque Religionem, naturalem ac Divinam evertentis? Vide an ulla sit reliqua ei qui sic criminatur.

(6) *Materialismum*. Anonymus dicti nominis vim non intelligit. *Materialismus* statuit omnia esse materiem, id est entia composita. Metaphysica vero sublimior §. 362. ait: *Ens quodlibet compositum est, vel simplex*: in §. 365. distinguuntur elementa compositorum, animae insectorum, animae animantium quae praestantiora putantur, animae hominum in quibus eminet ratio, et angeli. In §. 619. dico *incredibilem et admirandam divinae naturae simplicitatem*, in 821. *Una est et simplex Divina substantia* etc. Vel una metaphysicae sublimioris synonima inscriptio totam disjicit fabulam Lipsiensem: Nam est: *Humanae ra-*

sciplina praesertim juventuti, Religionem (7), Christi ecclesiam ejusque Hierarchiam, Apostolos, Patres, doctores, sacramenta, ritus, virtutesque omnes ut risu, et cachinnis excipiendas fabulas exponunt, atque non alium finem

---

Sequitur Confutatio

tionis tentamen ad trium in Uno simplicissimoque Deo personarum existentiam, revelatione jam notam demostrandam. En Deum, atque illum simplicissimum, inque tribus personis; non materialismum, ut ait.

(7) Quam praepostere omnia! In aditu ipso Metaphysicae id est in §. 43. scribitur: *Ego autem quemadmodum amore prosequor, et obsequio SINGULA RELIGIONIS CATHOLICÆ DOGMATA, sic ea potissimum quae de Uno Trinoque Deo credenda hominibus, et retinenda proponit. Nam ALTISSIME PERSUASUM est mihi de Religionis hujus veritate et Sanctitate, REMQUE ARBITROR HONORIS PLENISSIMAM complecti has animo, et MORIBUS EXPRIMERE, quidquid nefarii homines, cogitarint, scripserint, vel attentaverint, ad eas obscurandas, minuendas et extirpandas*. An clarius et testatius et honorificentius quidquam proferre ac praemittere poteram de Religione universa, imo de observantia illius, ut morum sequamur puritatem, non veneres illas quas clamitat iste? certe sine consilio vel probitate. Aut poteram non habere prae oculis perpetuo incrementum Fidei, ego qui §. 357. scripseram: *Nisi quod miserrima diuturnaque experientia factum est, ut cum philosophi adversus Fidem signa sustulerunt, potiusquam rationem ad Divina usque metienda porrigerent, eam infra multo demiserint ac repulsaverint?*

Tandem ubique per me, ac summa semper cum reverentia citantur scripturae, concilia, Patrum opera vel

ultimum, non aliam beatitudinem hominibus esse inspirant in hac sensibili universitate quae juxta metaphysicam Deus est, nisi venereas voluptates, et quae sensuum concupiscentiae faciunt satis.

VI. Quae quidem omnia apertissime detegentur cum cito confutatio pestiferi operis jam adornata prodibit in lucem (8).

VII. Interim (9) satis mirari nequeunt Religionis ama-

Sequitur Confutatio

Pontificum, et eorum decreta: ita ut vis demonstrationum, quas affero circa Trinitatem, omnino pendeat ex sententiis Patrum, maxime Graecorum, quemadmodum Philippus Guidi, sedulus jam examinator metaphysicae sublimioris agnovit, ac testatus est in epistola ad me data, quam ante metaphysicam ipsam typis repraesentavi. Legant obsequium meum erga Pontificem summum Pium VII. in ipsa operis dedicatione.

(8) *Prodibit*; confutata priusquam prodeat. Si tam sibi confidit, imprimat, promulget, ac cito, cumque apposito nomine. Tandem aliquando intelliget quanta sit in ipso nomine sui confutatio.

(9) Calumnia haec tota, ut Lipsiae data subsignatur. Sed ea Lipsia est Roma: ac Romae structam et actam fabulam patet. Nec ènim edita est illa in ephemeride ulla: nec ullibi extra Romam sic scriberetur ad proscriptionem librorum..... Cum debeaţ maxime notum esse, quae calumniose sparguntur, adhibito examine intercludi et concidere. Est ergo calumniae auctor unus eorum, qui ad certum (neque ignotum) finem, temere spem sumpsit ob loci proximitatem, (dicendum est enim) posse, circumcursando, obsequendo, insidiando, per alios etiam, imminere examini, versare animos, inclinare suffragia, murmure

tores tam perniciosum librum adhuc post accusationis triennium, Romae non fuisse proscriptum: eo magis quod cum fraude, ecclesiae praesules circumventi facultatem ipsam imprimendi concesserint: fraude ipsa detecta, ne virus latius diffundatur, et ut auferatur scandalum, nedum ab orthodoxis hominibus, sed etiam ab haereticis et infidelibus, statim absque ulla mora ipsum damnare atque in pri-

---

Sequitur Confutatio

apud plebem concitato, quasi plebs judicatura fuisset: vel populi rumor fidei sit lancem moderaturus. Re considerata, possum divinare, fraudis artificem esse unum e duobus vel tribus elegantissimis illis qui eodem anno 1818. publicarunt opusculum illud inscriptum = *Esame imparziale sui primi due libri della metafisica sublimiore*. Nam Lipsiensis Fabula est veluti continuatio examinis illius: cum illud desinat in fine libri secundi, et fabula, praeteritis omnino duobus primis libris, incipiat struere insidias in tertium, quartum et quintum librum, in quibus exhibentur demonstrationes tres, quas, exuto pudore omni, transvertit funditus, effingens quae nusquam leguntur. Tanto magis dic unum eorum, nisi omnes coiverint, quod mendacissime inquiat (quod Lipsienses ne suspicarentur quidem) Ecclesiae praesules fraude circumventos, facultatem imprimendi metaphysicam concessisse. Atqui sapientissimus iste, ut rem suam conficiat, traducit etiam tamquam incautos Ecclesiae praesules. Si saperent, quanto generosius receptui canerent, quam calumniis perpetuarent bellum, quod ne lecto quidem opere susceperunt. Vel si quid est reliquum, quod serio improbandum videatnr, producant, comiter indicent, petivimus, petimus, et petemus: spem certam alo futurum, ut sit veritas triumphatura. Certe si a tribus jam hinc annis, nonnisi calumniis circumsidemur tamque

Digitized by Google

mae classis libros damnatae lectionis solemniter rejicere debuissent.

Quid personarum acceptio apud Deum et Ecclesiam suam?

Utinam quod factum non est, citissime fiat,
Dum reclamat omnis populus Christianus: fiat, fiat.

Lipsiae anno 1818.

SEQUITUR CONFUTATIO

occultis et indignis; necesse est ut valida, ac fulgentia desint arma quibus impetamur.

Dabam Romae Kalendis Maji anni 1819.

Digitized by Google

/a: 005659407

io: 005659408

/e: 005659409

Digitized by Google